

Littera Sigismundi III Regis Poloniae ad Du-
cem Pomeraniae

161

Illustrissime princeps, cognate, et amice charissime!
 Quae ratio sit belli, quod Gustavus Adolphus Sudermaniae
 Dux occupato prius per summum nefas regno nostro Swe-
 diae nobis, et ditionibus regni Poloniae intulit, notum es-
 se illustritati vestrae non dubitamus. Nam et superiori-
 bus annis dum nos contra Turcatum imperatorem, imma-
 nissimum christiani nominis hostem in acie versare-
 mur, ille interim durantibus adhuc induciis Livoniam
 invasit, et praeterito anno Prussiam pari perfidia aggres-
 sus est, fraude, et proditione aliquot munitiones interce-
 pit. Deum nos ultorem hostilis perfidiae fore, et eum,
 qui christiani sanguinis effusi est reus, penas daturum
 non dubitamus. Interea gravissimo animo concipimus
 illustritatis vestrae erga nos, regnumque Poloniae pro-
 pensam voluntatem in communicandis cum supremo
 exercitus nostri praefecto consiliis declaratam. Jam
 isti, qui sub signis Gustaviciis Pomeraniam perva-
 serant, penas temeritatis suae exolverunt, de cetero
 amanter ab illustritate vestra contendimus, ut dein-
 cepti aeterni mutuae societatis nexu contra commu-
 nem hostem nobiscum obstrictum se esse non solum
 verbis profiteatur, verum etiam re ipsa declaret, atque
 ad omnes hostis conatus terra marique intentus, pa-
 ratusque esse velit, nosque, vel ducem exercitus nostri
 certiorem faciat. Id amicitiae, quae nobis cum illu-
 stritate vestrae mutui sanguinis vinculo adstricta inter-
 edit.

cedit, id fidei, quam regno Polonia eius beneficio
dudum illustritas vestra obligata debet, maxime
consentaneum fuerit. Quod reliquum est.

[Faint, illegible handwriting, likely bleed-through from the reverse side of the page.]